



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Tractatvs De Homine Spirituali**

**Walenburch, Adrian van  
Walenburch, Peter van**

**Antverpiae, 1666**

Epistola IV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10007**

nostrum, ut suo patrociniò scribenti opituletur. 14. Jan. 1665.

EPISTOLA IV.

1. **A** Summo nunc quartam Epistolam scribendam de Advocatis nostris apud Deum Patrem; ubi materia se offert solatio plena, universis ad hæreditatem cœlestem anhelantibus. Neque enim expectavit Pater, ut mundus, per Passionem Christi reconciliatus, nesciens quid roget, sicut oportet, sibi Advocatum peteret; sed eidem sponte suâ duos dedit Advocatos maximos, & potentissimos, sibi essentia æquales, *Jesus Christum*, & Spiritum sanctum.

2. Prævidit idipsum in spiritu Isaias Propheta, quando scripsit:  
(a) *Parvulus natus est nobis, Filius datus est nobis.* Ideò natus parvulus ut esset

H 2

posse-

(a) *Isai. 9.6.*

possessio parvulorum: ideò natus Filius, ut esset proprietas filiorum. Magna dignatio, quando parvulus nobis nascitur, ut quicumque accipit possessionem parvuli, ex superbo fiat parvulus: magna dignatio, quando Filius datur nobis, ut quicumque accipit eam proprietatem, ex servo transmutetur in filium. Præstat illa admiranda, cum parvulo superborum conjunctio; cum Filio servorum adunatio.

3. Sed (a) factus est principatus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Conciliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Tantus ille est, qui natus est nobis parvulus, qui datus est nobis Filius. Hujus rei quotidie meminimus in tremendis mysterijs, quando post Consecrationem dicimus: Offerimus præclaræ Majestati tuæ de tuis donis ac datis, Hostiam

(a) Ibid.

*Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, panem sanctum vite eterna, & Calicem salutis perpetua.* Nostra possessio est, quam offerimus: quia Filius datus est nobis; qui ad contestandam divinam omnipotentiam, nostramque subjectionem, Deo Patri defertur.

4. Nihil erat dignum Deo, quod humana exiguitas offerret Deo: & de alieno quis offerat? Donavit nobis Pater parvulum, qui est Pater futuri seculi; ut mysticum sit parvulis sacrificium, & apud Deum Patrem acceptabile. Donavit nobis Pater Filium, qui est princeps pacis; ut mysticè immolatus, adoptionem filiorum confirmet.

5. Idem ille, nobis natus, nobis datus, Admirabilis voluit esse noster Advocatus: (a) *Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis*

H 3.

*nostris.*

(a) 1. Ioan. 2. 1.

*nostris.* Habemus illum apud Patrem  
Advocatum, tanquam possessionem,  
& proprietatem nostram. Advocatum  
admirabilem : & qui semel factus  
est propitiatio pro peccatis nostris,  
semper manet propitiatio pro  
peccatis nostris. Advocatum, qui  
simul est Consiliarius in SS. Trinitatis  
judicio, ne pœnitentes dubitemus  
de obtinenda indulgentia. Advocatum,  
qui est Deus de Deo, Lumen de Lumine,  
Deus verus de Deo vero. Adversùs  
impuritatem, Hostia pura : adversùs  
terrenam contagionem, Hostia sancta :  
ad emundandas maculas culparum  
nostrarum, Hostia immaculata. Habemus  
Advocatum fortem, qui nobis præstat  
Panem sanctum vitæ æternæ, ne  
deficiamus in peregrinatione hujus  
vitæ : qui nobis porrigit calicem  
salutis perpetuæ, ut potantes de  
torrente voluptatis ipsius, salutem  
perpetuam quodam modo prægustemus

6. Talis est possessio nostra, talis proprietas, talis Advocatus: ut infirmi confidant in forti; u creaturæ innitantur Deo; ut fluctuantes recurrant ad Consiliarium; ut simplices admirabilem complectantur: qui sicut est Princeps pacis, ita est pax nostra; futurus pater futuri seculi, si in parvulo nobis nato, fuerimus parvuli; si in filio naturali nobis dato, fuerimus filij adoptivi.

7. Sed quomodo erimus parvuli, in parvulo: filij in filio. Breviter respondeo: erimus parvuli in parvulo, si parvulum imitemur: erimus filij in filio, si filium imitemur. Parvulus voluit esse nostra possessio, nostra proprietas: simus vicissim parvuli possessio, filij proprietas. Erimus autem possessio & proprietas ejus per Spiritum Christi. Nam (a) *si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Qui autem Spiritum Christi habet, H 4 est

(a) Rom. 8. 9.

est Christi, est Christi possessio,  
Christi proprietas

8. Spiritus Christi sic datur nobis, ut rursùm ipse spiritus sit nostra possessio, nostra proprietas: (a) *Dedit Spiritum suum Sanctum in nobis.* Non dedit eum ante passionem: (b) *Hoc dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat spiritus datus.* Postea verò datus est spiritus: (c) *Spiritus Sanctus, quem Deus dedit omnibus obedientibus sibi.* Deus obedientibus sibi dedit Spiritum sanctum, tanquam possessionem & proprietatem obedientium; ut divino parvulo (qui fuit obediens usque ad mortem) per obedientiam uniti, instar parvulorum obediunt Deo. Ita (d) *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est*

(a) 1. Ioan. 4. 13. (b) Ioan. 7. 39. Vid. S. Leon. Serm. 2. de Pentec. Bibl. Pat. Tom. 5. Patr. 2. pag. 854. D. (c) Act. 5. 32. (d) Rom. 5. 5.

est nobis. Deus est charitas, & ut charitas diffundatur in cordibus nostris, Spiritum sanctum nobis dedit, tanquam nostram possessionem, & proprietatem. Ideò dicit dilectus discipulus: (a) *Videte quantam charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur & simus.* Ergò sicut per obedientiam unimur parvulo, quando velut parvuli obedimus Deo: ità per charitatem & Spiritum sanctum unimur filio, ut diligentes Deum super omnia, filij Dei nominemur, & simus.

9. Hæc tanta nostra possessio, tanta proprietas, ut qui Deus est ab æterno, Spiritus sanctus, sit nobis datus ad obedientiam, & dilectionem; quem tristem non consoletur; quem consternatum non erigat; quem vacillantem non roboret; quem benè currentem non impellat; quem meditantem ad pedes Domini solitarium, non rapiat suprà se?

H 5

10. Ille

(a) 1. Ioan. 3. 1.



10. Ille idem Advocatus noster est sicut ostendi in alia Epistola. Sed sicut *Christus Iesus* ita est Advocatus noster, ut nobis sit datus, tanquam nostra possessio & proprietas: sic etiam Spiritus sanctus, velut noster Advocatus, est nobis donatus, tanquam nostra possessio & proprietas: (a) *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis.* Non tantum est nobis donatus *Christus Iesus*: non tantum est nobis donatus Spiritus sanctus: sed hic, & ille est nobis donatus, tanquam Advocatus: *alium paraclitum dabit vobis*, ut tam *Christus Iesus*, quam Spiritus sanctus, etiam in qualitate advocati, sit nostra possessio, nostra proprietas.

11. Necdum justificati implorant Advocatum *Iesum Christum*; quia ipse est propitiatio pro peccatis nostris: (b) *Qui semetipsum dedit pro peccatis nostris.* Justificati, ut liberentur à peccatis

(a) *Ioan. 14. 16.* (b) *Gal. 1. 3. Tit. 2. 14.*

catis venialibus, etiam implorant Advocatum *Iesum Christum*, qui non solum est propitiatio pro peccatis nostris mortalibus, sed etiam pro venialibus. Idem iustificati, in tribulationibus suis, & præserventur à peccatis, insuper implorant Advocatum Spiritum sanctum; quò duobus Advocatis munitis, in tentationibus experiantur vocem Domini: *Sufficit tibi gratia mea*. Verè sufficit divina gratia, quæ tanta nobis præstat beneficia, ut quo modo majora præstare potuerit, non appareat.

12. Sed agnosco, hæc non sufficere ad quæstionem tuam; quæ tamen poterunt sufficere charitati tuæ, ut errata corrigas, & imperfecta perficias, secundum gratiam tibi datam. Commendo me tuis precibus & sacrificijs; rogoque ut parvulo me commendes, ut sim parvulus; filio me commendes, ut sim filius. 21. Ian. 1665.

F I N I S.